UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

BREVIS|| INSTRVCTIO|| AD CORROBORAN-||DOS AC IVVANDOS MO-||RITVROS, EOS PRAESERTIM|| qui ob flagitia sua, publica Iudi-||cum sententia morti ad-||dicti sunt:||

Isella, Francesco

Coloniae Agrippinae, 1588

VD16 I 344

Articulus XVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-60044

Visual Library

eſt mihi Saluator & Redemptor. Succurre mihi citò Sancta Dei Genitrix: conuerte in me pios tuos oculos, mõſtra te eſſe Matrem; fac vt poſt huius miſerrimæ lachrymarum vallis exilium, dignus ſim videre Ieſum, fructũ ventris tui benedictum in patria beatorum, vbi tu ſedes exaltata ſuper omnes choros Angelorum, Amen.

Quo loco in hac oratione mentio fit de doloribus, vel gaudijs Dominæ noſtræ, poteſt extendi conſideratio ad aliquod quindecim myſteriorum Roſarij. In oratione verò ſufficit generaliter ſub breuitate attigiſſe, ſicut fit in oratione prædicta.

Articulus XVI.

Vt magis magiſque animetur & corroboretur captiuus, poteris illi promittere communionem auxilij, quod recipimus à S. Angelis, miſſis à Domino in circuitum timentium eum ad defenſionem eorum, vt cuſtodiant eos in omni loco. Sic legimus

Geneſ. 19. 3 Reg. 18. Dan. 3 6. Thob. 12. Act. 12.

Loth, Eliam, Danielem, pueros in fornace Babylonica, Thobiam, Sanctum Petrum in vinculis, alioſque & veteres & recentes ab Angelis defenſos eſſe. Explicari poterit magna illorum

lorum charitas, qua cum pro ſalute generis humani Dominum deprecantur: magna eorum vigilantia, qua cum cuſtodiunt nos, & promptitudo atque ſedulitas eorum, qua cum ſuccurrunt nobis; defendentes nos à Dæmonibus, remouentes à nobis mala, & bona quæque nobis procurantes. Patientia quoque qua cum ſufferunt noſtras imperfectiones; & quomodo ob noſtram lætantur conuerſionem; quomodo animas noſtras ſecurè transferunt in cœlum, & ab aerijs poteſtatibus, quæ viã noſtram cupiunt impedire, illas defendunt.

His aut ſimilibus conſiderationibus captiuus corroborabitur, magnamque de Angelis concipiet fiduciam, qua cum poterit eos piè in auxilium aduocare; orans eos, vt per beatam illam viſionem, qua cõtinuè fruuntur, & per magnum amorem, quo cum ſuo Creatori ſunt vniti, vt impetrent ſibi peccatorum ſuorum remiſſionem; victoriam contra Dæmones, & tandẽ glorioſum in cœlũ inferant, cantantes & laudantes Dominum.

Præcipuè verò ſuas ad S. Michaelẽ Archãgelũ preces inſtituat: ille enim S. Michael.

conſtitutus eſt Princeps & caput ſuper animas iuſtorum, & ille repręſentat eas in illa ſancta luce cœleſtis Hieruſalem.

Angelus cuſtos.

Angelo quoque cuſtodi peculiari modo ſe commendet, eiuſque auxilium inuocet, cùm ab eo fideliter ſit cuſtoditus: & qui ſæpe offendi potuerat multitudine peccatorum; non tamen deſeruit eum: ſed tantùm in finē reſpiciens, vt conuerteretur, magna ſemper eum cum benignitate & patientia tolerauit.

Articulus XVII.

Licebit etiam Fratribus damnatū ſpe interceſſionis aliorum Sanctorū Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & aliorum electorum & amicorum Dei conſolari: qui omnes valdè ſoliciti ſunt, vt pro nobis deprecentur. Amant & deſiderant noſtram ſalutem, optantque vt participes efficiamur ſuorum meritorum. Et ſi illi adhuc in terris viuentes pondere corporis grauati tantam habuerint in oratione potentiam, vt ſolem ſiſtere, ignem de cœlo vocare, aquam è ſaxo duriſſimo elicere, infirmos ſanare,

mor-